

minorem, ex illius tamen essentiâ productum esse statuebant, sententiam per se malam duriùs adhuc interpretabantur, creatum esse ἐξ ὧν ὄντων, adeò ut gignere illis idem esset ac creare: Eunomiani item & Macedoniani, Spiritum S. demùm Patris & Filii ministrum faciebant; perinde ut hodiè (quod obiter hinc inspergere liceat) adhuc quispiam nimis impiè Spiritum Sanctum æstimat totam collectionem creatorum Spirituum Sanctorum seu Angelorum. Sic idem Eunomius, recensente Nazianzeno, Patrem ac Filium ita esse verum DEUM, blasphemavit, sicut canis terrestris & cœlestis æqvivoce quidem, attamen propriè & verè canes sint.

§. 4.

Novam hinc cum Arianis superiori seculò instruxit aciem Michaël Servetus, ganniens, nec Christum esse DEUM, nec Spiritum Sanctum divinam Personam, quin illum potius nudum deprehendi hominem, hunc verò solam DEI in creaturis ἐπέσταν, bonosq; motus internos; auspiciò quidem admodum infelici, Genevæ quippe propterea exustus. Nihilominus Lælius Socinus ex Italiâ oriundus, utut præsens cerneret horrendum hominis supplicium paulò post idem in Germaniâ Poloniâq; disseminavit, hinc ipsò Photinum nomine cognominem imitatus. Faustus Socinus, patruelis Lælii, hæresin propagavit in Italia primùm, quò fuerat reversus post mortem illius, mox Basileæ & Tiguri, per Sarmatiam quoq; & Transylvaniam. Cujus posteris, ceu exitiosa viperarum progenies, utut ex Imperio Romano per decreta publica ejecti, in latebris suis idem monstri in hunc usq; diem alentes, scriptis blasphemis caput extollere nondum erubescunt, sed portentosa moliuntur, adeò ut Racoviæ Anno 1638. quò expellebantur, liber sub prælo fuerit inventus, cui Titulus præfixus legebatur: *Tormentum thronò Trinitatem deturbans*; quin imò se ipsos superciliosè Monarchicos appellant atq; *Unitarios*. Quibus haud immeritò annumeres Arminii pullos, medios inter Socinianos & Calvinistas, divinitatem tribuentes Personis non collateraliter sed subordinatè, ità ut solus Pater sit DEUS κατ' ἐξοχλήν.

Etiam